

consumptis, debitores quantitatum debitarum renuere solutionem, ita non statim casum conquerentibus facile credendum est; intelligere itaque debetis, non existentibus instrumentis, vel aliis argumentis, probare debere fidem precibus vestris adesse; » juncto ejus summario ex Saliceto, ibi: « Si creditor dicat se perdidisse casu instrumentum debiti, non debent propterea, qui dicuntur debitores, ad solutionem urgeri, nisi creditor probet casum et tenorem instrumenti, » et ibi Bartolus, n. 2; Abbas, in cap. *Albericus*, n. 4, De testamentis; Alexander, consil. 196, n. 11, lib. II; Mascard., *De probationib.*, concl. 910, n. 6, 10 et seq.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 333 et seq., et alii.

(95. Si instrumentum pereat facto adversarii, illud verbi gratia dilacerantis vel auferentis, oportet, ut istud legitime probetur, et facta tali legitima probatione, tunc per solum juramentum spoliati probatur tenor instrumenti, et valor rerum in eo contentarum. Sic desumitur ex I. *Si de possessione* 20, juncta Glossa marginali cod. *De probationibus*; et notat Abbas in c. *Accepimus* 4, n. 4, De fide instrumentor.; Mascard., *loc. cit.*, conclus. 911, n. 3 et 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 337; Engel, *loc. cit.*, n. 54, et alii passim; in similibus enim, probata fraude seu violentia per testes, sufficit, quod res amissæ, earumque valor probentur per juramentum spoliati, textu expresso in cap. *Super eo* 7, De his, quæ vi metusve causa fiunt, juncto ejus summario, ubi sic expresse habetur: « Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum, et super valore rerum amissarum, taxatione judicis præmissa, et seculo peitentis juramento, fit condemnatio. »

(96. Falsificantes scripturas seu instrumenta quas pœnas incurrant. Vide verb. *FALSUM, FALSARIUM*, a n. 39 ad 73.

97. Scripturæ et instrumenta, quæ conficiuntur, et rogantur a cancellario episcopi tanquam cancellario, servari debent in episcopi cancellaria, non autem transferri debent in archivio communitalis. Sac. congreg. Conc. 5 Novembr. 1625; apud Pignatell., tom. IV, consult. 210, num. 3.

(98. Imo potest episcopus per edictum præcipere aliis notariis, quod exhibere debeant in cancellaria episcopali acta, seu rogatus, illorumque exemplaria spectantia ad monasteria monialium, prout laudando episcopum Eugubinum, qui tale mandatum dederat, respondit sacra congreg. Episc. 31 Jan. 1596; apud Monacell., part. I, titul. 1, formul. 5, num. 3.

(99. Ecclesiastici non possunt cogi ad faciendam insinuationem in cancellaria laicali instrumentorum dotalium monialium, patrimoniorum, et similibus scripturarum. Sacra congregat. Immunitat., in *Nicen.* 28 Septembr. 1677, lib. II *Decretor.* Altovit., pag. 1461.

(100. Episcopus requisitus a laicis pro consignatione scripturarum respondeat se non habere facultatem, sed adeundum esse

sanctissimum pro obtinenda facultate. Sacra congregat. Immun., in *Neritonem.* 17 Novembr. 1654; lib. III *Decret.* Paul., pag. 54.

(101. Omnes scripturæ pertinentes ad abbatiam N. existentes in archivio archiepiscopali debent communicari abbati pro tuitione jurium ei competentium. Sac. congreg. Immun., in *Acerren.* 23 Maii 1703, lib. III *Decr.* Vallem., pag. 490.

(102. Datur facultas extrahendi ser. ser. protocolla, et instrumenta notarii demortui a loco immuni et consignandi ser. ser. in archivio publico civitatis cum prævio inventario dictarum scripturarum, ita tamen, ut nullum inferatur damnum, seu præjudicium hæredi pro jure sibi competente super dictis scripturis. Sac. congreg. Immun., in *Foresempronien.* 13 Augusti 1667, lib. I *Decr.* Altov., pag. 141, in *Marsicen.* 10 Decemb. 1678, lib. II *Decret.* Altov., pag. 1685.

(103. Ad evitandas fraudes, quibus potest subijci justitia ob falsificationem prætentam scripturarum, quas apud se retinet notarius confugitus in loco immuni, datur episcopo facultas perquirendi dictas scripturas ad effectum faciendi inventarium, et consignandi in manu judicis competentis, ut de ipsis disponat prout de jure. Sac. congreg. Immun., in *Reatina* 31 Decr. 1677, lib. II *Decret.* Altov., pag. 189.

(104. Præcipitur archiepiscopo ut auctoritate sua ordinaria cogat secretarium communitalis ad communicandas scripturas pro lite cum communitate pendente in sacra congreg. ratione aperitionis Macelli. Sac. Immun., in *Beneventana* 22 Aprilis 1673, *ibi*, pag. 792.

(105. Injungitur, mandante sanctissimo, episcopo Montis Regalis, et nuntio, ut faciant abolere omnes scripturas ab eorum tribunalibus quomodolibet emanatas, et omnia facta inde secuta quoad solutionem oneris laicalis contra ecclesiasticos, et transmittant ad sac. congreg. publicum documentum dictæ abolitionis. Sac. congreg. Immun., in *Montis Regalis* 5 Maii 1677, lib. II *Decretor.* Altovit., pag. 1384.

(106. Archiepiscopus curet restitui Ecclesiæ protocolla seu scripturas ab ipsa extractas de ejus ordine ad effectum consignandi, cui de jure et homine ex defectu facultatis. Sac. congregat. Immun., in *Regien.* 4 Octobris 1681, *ibi*, pag. 2266.

(107. Nisi scripturæ ab Ecclesia ablata restituantur, non conceditur absolutio. Sacra congregat. Imm., in *Oritana* 10 Septemb. 1629, lib. II *Decret.* Paul., pag. 5.

(108. Alia ad rem. Vide verb. *FALSARIUS*, verb. *LITTERÆ*, verb. *NOTARIUS*, verb. *PROBATIO*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(109. De hoc argumento quamvis late diseruit auctor, libet tamen per compendium totam materiam complecti. Scripturæ aut publicæ sunt, aut privatæ. (110. Publicæ scripturæ sunt, quæ auctoritate publica a personis illa pollentibus confecta sunt.

(111. Huc autem I. pertinent instrumenta a capitulis ecclesiasticis confecta, ac sigillo eorum munita. Cap. 2, *De fid. instrumentorum.*

(112. II. Libri ecclesiastici, quibus consignantur baptizati et novi conjuges copulati. Carpov., lib. XII *Jurisprud. consistor.*, definit. 315, n. 2 et 3; Philippi, in *Us. practit. instit.*, eclog. 47.

(113. Notandum vero, libros hosce de iis tantum fidem facere, quæ coram parochis acta sunt, non vero quæ ex relatione aliorum habent. Vide quæ diximus in *Addit.* ad verb. *ÆTAS*.

(114. III. Acta judicialia legitime confecta a publica persona seu actuario judicii ad illa judicia solemnij juramento obstricto, quæ tunc demum fidem publicam habent. Cap. 11, *De fid. instrument.*

(115. IV. Scripturæ privatæ testium subscriptione munitæ, modo adhuc vivant, ut subscriptionem suam recognoscere valeant. Cap. 2, eod. tit. Publica vero documenta ex se probant, ut ut mortui sint testes subscripti.

(116. Hoc intuitu in l. 11, c. *Qui potior. in pignor.*, hypotheca publica censetur, quæ constituta est in scriptura trium testium subscriptione roborata, quod tamen aliter intelligi nequit, quam si testes adhuc vivant, seu subscriptiones suas recognoscere queant, vel ad minimum duo supersint, qui recognitionem facere possint, quia inde fides publica scripturæ privatæ dependet. Consule Brunemann., ad cit. l. 11, n. 5, c. *Qui potior. in pignor.*

(117. V. Notariorum instrumenta legitime confecta. Probant tamen si in originali, non item si in exemplo producantur, cap. 1, dict. tit.

(118. Nec sufficit exemplum, quod fide notarii ab originali, vel quod pro tali habetur, transumptum est. (119. Exemplum vero transumptum secundum formam in cap. finali d. tit. præscriptam attendi debet. De hac autem forma plures incidere solent quæstiones. At vide de iis Bohemer., in *Decretal.*, lib. II, tit. 22, § 5 seq. (120. Extra ordinem

SCRUPULUS.

SUMMARIUM.

1. Scrupulus unde sit dictus? — 2. Scrupulus quid sit? — 3. Scrupulosi alii sunt circa præsentia, et alii circa præterita, et utriusque qui sint? Item

(1. Scrupulus est sic dictus, eo quod instar scrupuli seu lapilli calceis inclusi, pedemque vexantis, animo hominis insidens, eum vexet et angat; scrupuli enim sunt minuti lapilli, qui inter ambulandum insiliunt in calceos hominibus, ac pedem torquent; inde iucicere scrupulum dicitur, qui sollicitudinem injicit animo cuiuspiam; et scrupulum eximit, qui sollicitudinem eximit; unde in l. *Cum proponas* 3, cod. *De interdicto matrimonio*, sic dicitur: « Ut autem omnis scrupulus auferatur, insistere pater tuus debet. » Sic expresse notat Joannes Kahl, alias Calvinus, in magno *Lexico juridico*, verb. *Scrupuli*.

vero fides etiam exemplo esse potest, non quidem, si in archivio repertum sit, ut perperam nonnulli volunt, sed si agatur de causa antiqua et insignia quædam adminicula eidem accedant. Cap. 13, *De probat.*

(121. Sunt qui in classe Scripturarum publicarum recensent VI. Et regesta monasteriorum, quibus designati sunt reditus aliæque obventiones ad monasterium spectantes. Confer Genua, *De scriptur. privat.*, lib. II, qu. 1 et 2. Sed eos refutat Bohemer., *loco mox cit.*, § 3.

(122. Scripturæ privatæ regulariter pro scribente non probant. Contra vero scribentem probant, dummodo debite recognoscantur, nec *indeterminate* loquantur, sed causam debendi adjectam habeant. Cap. 14, *De fid. instrument.*, l. 25, § final., ff. *De probat.*

(123. Extra ordinem vero scripturæ hæc indeterminate loquentes probant, I. Inter mercatores, quippe qui stylo admodum laconico inter se utuntur, ut plurimum causam specialem debendi omittunt, simpliciter fidei datæ inhærentes. Marquard., *De jur. mercator.*, lib. I, cap. 14, n. 11; Brunemann., centur. 2, dec. 99 per tot. (124. II. Si juramentum accesserit; Barbos., ad cap. 14, n. 2, *De fide instrum.*; Seraphin., *De privileg. juram.*, privileg. 94, n. 8, ubi tamen aliquas limitationes affert. (125. III. Si statuto contrarium introductum. IV. Si actor super causa debendi juramentum præstitit, licet generaliter tantum juraverit, ex justa causa reum debere. Confer Bohemer., *ubi supra*, § 10.

(126. Illud subnectendum, subtrahi posse vim probandi scripturis variis decausis: I. Si per testes, vel alio modo earum falsitas probetur. Cap. 4 et 10, *De fid. instrum.* II. Si non sint legibiles. Vide Bohemer., in *Dissertat. de script. non legit.*, cap. 4. III. Si contradictoriæ ab eodem producantur; cap. 13, dict. tit. IV, ex rasura, si in loco principali appareat; cap. 3, dict. tit.

quæ sint signa conscientiæ scrupulosæ? Item quæ sint ejus causæ? Item quæ sint ejus remedia? Item quæ sint ejus privilegia? et quando liceat, vel non operari contra conscientiam scrupulosam? *remissive*.

(2. Hinc scrupulus definitur, quod sit inanis apprehensio, et hinc ortus timor, et anxietas mentis alicubi esse peccatum, ubi revera non est, nec fuit. Est in re communis. Unde scrupulus proprie fit, et tum conscientia scrupulosa proprie dicenda est, quando intellectus, neque determinatè judicat, neque dubitat practice aliquid esse peccatum, sed potius habito, vel sufficienter proposito judicio non esse peccatum, sola apprehensione, vel suspitione mali ex inani seu levi motivo titubat, fluctuat, anxie formidat esse, vel fuisse peccatum, v. g. forte se consensisse tali suggestioni, et hujusmodi.

(3. Scrupulosi alii sunt circa præsentia, et alii circa præterita, et utriusque qui sint? Vide verb. CONSCIENTIA, a n. 115 ad n. 126, ubi fuse agitur de conscientia scrupulosa, et assignantur signa conscientia scrupulo-

SECRETARIUS, SECRETUM.

SUMMARIUM.

1. Secretarius ad quid teneatur? — 2. Secretarius peccat in pluribus, quæ assignantur? — 3. Quæ sint conditiones ad justam compensationem? remissive. — 4. Quam mercedem possint exigere secretarii, seu cancellarii curiæ episcopalis, remissive. — 5. Secretarius, qui multa scribit, probabilis non excusatur a jejuniis. — 6. Secretum (præter illud confessionis sacramentalis) potest aliquid dici quinque potissimum modis, qui assignantur. — 7. Revelare secretum in primo casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam. — 8. Revelare secretum in secundo casu seu modo, est etiam peccatum mortale contra justitiam. — 9. Revelare secretum in tertio casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam, si promittens intenderit se obligare ad servandum tale secretum ex justitia, secus autem si solum ex fidelitate. — 10. Revelare secretum in quarto casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam. — 11. Revelare secretum in quinto casu, est peccatum mortale contra justitiam, licet non tam grave, sicut in quarto casu seu modo. — 12. Justæ causæ revelandi secretum sunt potissimum quinque, quæ enumerantur. — 13. Per revelationem

(1. Secretarius tenetur scire ea, quæ ad suum officium spectant, et juste, diligenter, fideliterque dictum officium suam exercere. *Communis.*

(2. Secretarius in pluribus peccat, et signanter si juramentum violat. Item si secreta revelet. Item si sententiam nondum publicatam manifestet. Item si processus, aut sententiam non recte custodiat, vel partibus sine præscripto iudicis ostendat. Item si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, vel imminuendo, seu immutando, aut inventando. Item si subripiat aliquid ultra conventam mercedem, præsertim si non interveniant requisitæ conditiones ad justam compensationem. *Communis.*

(3. Quæ autem sint conditiones requisitæ ad justam compensationem? Vide verb. COMPENSATIO.

(4. Et quam mercedem possint exigere secretarii, seu cancellarii curiæ episcopalis. Vide verb. CANCELLARIUS.

(5. Secretarius, qui multa scribit, probabilis non excusatur a jejuniis. Potest enim secretarius vires habere sufficientes ad multum scribendum, quamvis jejuset; imo temperantia, et jejuniis maxime conducit ad valetudinem sedentarii. Sanchez, in *Consil.*, lib. v, cap. 1, dub. 7; La Croix, lib. III, part. II, n. 1332, et alii passim; quamvis tamen non desint, qui excusent a jejuniis secretarios multum scribentes, ut gr. secretarios regum, aliorumque principum, ac præcipuorum officialium, quia dicunt, tale officium requirere constantes vires, quæ multum debilitantur per jejuniis; sic Angles, aliique cum Barghaber, centur. 3, cas. 5 et Diana, in *Compend.*, verb. *Jejunium*, n. 10. Vide verb. JEJUNIUM, n. 21.

sæ; item remedia conscientia scrupulosa; item privilegia conscientia scrupulosa. Et quando liceat, vel non, operari contra conscientiam scrupulosam.

secreti potest aliquando fieri injuria gravis, aliquando injuria levis, et aliquando nulla. — 14. Assignatur, quando fiat injuria gravis, et peccetur mortaliter. — 15. Assignatur, quando fiat injuria levis, et peccetur solum venialiter. — 16. Assignatur, quando nulla fiat injuria, et nulliter peccetur. — 17. Generales, provinciales, visitatores, aliique religiosorum et religiosarum superiores graviter peccant contra justitiam, si personas, a quibus aliorum defectus corrigendos susceperint, manifestent. — 18. Item graviter peccant juxta gravitatem materia, et circumstantiarum generales, provinciales, definitores, aliique vocales, et secretarii, qui acta et dicta in capitulis, definitoriis aliisque congressibus, aperiunt amicis cum magno religionis et religiosorum dispendio; sicuti et illi, qui personis particularibus significant, quos favorabiles, et quæ contrarios habuerint in ordine ad dignitates, gradus et officia, ad quæ fuerunt propositi. — 19. Item graviter peccant regulares omnes utriusque sexus quidquam in religionis detrimentum patefacientes, seu aliquid in præjudicium famæ religionis, aut particularis religiosi, vel religiosæ manifestantes. — 20. Alia ad rem, remissive.

(6. Secretum (præter illud confessionis sacramentalis, de quo *infra* sub verb. SIGILLUM CONFESSIONIS) potest aliquid dici quinque potissimum modis. Primo, quando aliquid ex natura rei petit esse et teneri secretum, seu quando res uni aut alteri revelata postulat ex se manere occulta. Secundo, quando res aliqua expresse vel tacite sub secreto commissa est. Tertio, quando audiens, secretum promittit, licet non fuerit ipsi commissum. Quarto, quando res aliqua occulta cognoscitur per injuriam. Quinto, quando res aliqua occulta cognoscitur casu sine alia injuria, etc.

(7. Revelare secretum in primo casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam, si materia sit gravis. *Communis.* Et ratio est, quia ex revelatione talis secreti in materia gravi causatur proximo grave et notabile detrimentum in bonis vitæ, vel famæ, seu fortunæ; proximus autem habet verum jus ad omnia dicta bona, adeoque revelare tale secretum, ratione cuius imminet proximo jactura ditorum honorum, est gravis injustitia, et consequenter gravis culpa cum onere restitutionis.

(8. Revelare secretum in secundo casu seu modo, est etiam peccatum mortale contra justitiam, si materia sit gravis. *Communis.* Et ratio est, quia secretum revelatum sub expresso vel tacito pacto tacendi, continet in materia gravi gravem obligationem justitiæ. Est enim contractus onerosus, cum subeat onus revelandi petens vicissim onus tacendi, adeoque, etc.

(9. Revelare secretum in tertio casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam in re gravi, si promittens intenderit, se obligare ad servandum tale secretum ex

justitia. Secus autem si solum ex fidelitate. An autem promittens intenderit se obligare ex justitia, vel solum ex fidelitate seu urbanitate, judicandum est ex circumstantiis materia, personæ, loci, temporis et modi.

(10. Revelare secretum in quarto casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam in materia gravi. *Communis.* Si quis enim per injuriam injuste aperit litteras alicujus, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, et hujusmodi, et postea revelat id amico, qui prævenit, impedit, et sibi tali medio et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi, quia talis injusta aperitio et lectio litterarum, et revelatio secreti fuit impeditiva ipsius boni et causa mali. Vide verb. LITTERÆ, n. 6.

(11. Revelare secretum in quinto casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam in materia gravi, licet non tam grave, quam revelare secretum in quarto casu, seu cognitum per injuriam. *Communis.* Si enim quis sciens seu cognoscens casu fortuito sine injuria ubi alter habeat thesaurum occultum, illum revelat, et inde subripiatur a latronibus, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem damnorum, cum ipse sit eorum causa, licet non tam graver peccet, ac si cognovisset per injuriam, quia obligatio justitiæ circa secretum cognitum sine injuria est levior, quam circa secretum cognitum per injuriam.

(12. Justæ causæ revelandi secretum sunt potissimum quinque. Prima est, quando res nullatenus secretum meretur, ex quo nulli prodesse, vel nocere possit. Secunda, quando res tradita sub secreto, est aliunde facta jam publica. Tertia, quando secretum cedit in damnum commune reipublicæ, aut alicujus innocentis. Quarta, quando secretum cessurum esset in grave nocumentum ipsiusmet secretum committentis. Quinta, quando ipsemet, cui secretum commissum est, grave damnum incurrere deberet, nisi secretum revelet.

(13. Ex supradictis colliges primo, per revelationem secreti posse aliquando fieri injuriam gravem, aliquando injuriam levem, et aliquando nullam. *Communis.*

(14. Colliges secundo, tunc per revelationem secreti fieri injuriam gravem, et peccari mortaliter, quando quis in materia gravi secretum, expressa vel tacita conventionione tacendi sibi commissum, revelat. *Communis.* Et ratio est, quia servare fidem sibi commissam est de jure naturali, ut tradunt communiter doctores cum sancto Thoma, 2-2, q. 70, art. 1 ad 2. Unde *Proverb.* c. xi, n. 13, sic habetur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Et quidem quoad expressam conventionem res de se clara est. Quoad tacitam autem conventionem manifeste patet in multis, et

signanter in consiliariis, belli officialibus, advocatis, theologis, medicis, chirurgis, obstetricibus; imo et probabiliter etiam in amicis et propinquis, quibus consilii, remedia vel auxilii capiendi causa certa secreta revelantur, quia supradicti omnes eo ipso, quod talia secreta suscipiunt, seclusa expressa conventionione tacendi, tacite censentur vi officii, aut muneris, aut rei ex natura sua postulantis secretum ad silentium se obligare; et a fortiori injuriam gravem inferunt et graviter peccant cum onere restitutionis, qui revelant secreta cognita per injuriam, ut dicebatur supra, de injuste et fraudulenter aperiendis alienas litteras, et inde detecta secreta cum eorum notabili damno revelantibus; et sic de similibus.

(15. Colliges tertio, tunc per revelationem secreti fieri injuriam levem, et peccari solum venialiter, quando quis in materia levi modicum solum inde inferente damnum, aut ex imperfectione actus sine expressa gravi obligatione tacendi, secretum revelat. *Communis.* Et ratio est, quia res levis momenti obligat solum leviter ad secretum; additur tamen sine expressa gravi obligatione tacendi, quia, si quis, præcedente tali expressa obligatione tacendi in aliqua speciali materia, etiam levi secretum revelaret, injuriam gravem inferret, et consequenter graviter peccaret, non ratione materia, quæ de se esset levis, sed ratione violatæ fidei contra expressam sibi impositam, et a se voluntarie assumptam obligationem tacendi, seu servandi fidem, etiam in dicta speciali materia levi.

(16. Colliges quarto, tunc per revelationem secreti nullam fieri injuriam, et nulliter peccari, quando quis secretum revelat, aliqua ex quinque assignatis supra n. 12 interveniente justa causa ipsum revelandi. *Communis.* Et quidem interveniente prima vel secunda ex assignatis causis res de se patet; interveniente autem tertia, ut si urbs esset prodenda, aut innocens injuste esset occidendus, licitum est etiam cum dispendio alterius, et malitia sua nocere volentis, revelare secretum ad avertendum simile malum, ut docet communis doctorum cum S. Th., 2-2, q. 79, art. 1. Et ratio est, quia ex lege et ordine charitatis quilibet licite potest, imo obligatur liberare innocentem ab injuria injuste nocentis, quamvis cum aliquo nocentis damno fieri debeat; item interveniente quarta ex dictis causis, ut si committens secretum velit matrimonium inire cum impedimento dirimente alicui revelato, tunc si non possit aliter a tali matrimonio revocari seu impediri, nisi canonicè denuntietur, licita, imo debita erit denuntiatio seu revelatio secreti, quia id exigit reverentia sacramenti et obligatio evitandi etiam proximi peccatum, ut tradit communis doctorum cum Sanchez, lib. III, *De matr.*, disp. 13; Laym., lib. III, tract. 3, cap. 5, n. 1; Sporer, tom. II, tract. 5, cap. 4, sect. 3, n. 46. Sicuti etiam licitum est, imo debitum, pravam alicujus consuetudi-

nem sub secreto commissam revelare superiori aut alteri, si non possit aliter ejus salutem consuli, quia bonum animæ præponderat bono famæ; item interveniente quinta ex dictis causis, ut si quis secretum sibi commissum non possit servare nisi cum dispendio vitæ et famæ, tunc enim potest is licite tale secretum revelare, quia non censetur se voluisse obligare ad servandum secretum in simili casu tanti sui detrimenti inde secuturi cum præsumatur potius quemque ex ordine charitatis propriam incolumitatem voluisse et velle præferre alienam, ut docent communiter doctores cum Lessio, lib. II, c. 11, dub. 18; Layman, *loc. citat.*, n. 2; Sporer, *loc. citat.*, n. 46.

(17. Generales, provinciales, visitatores, alique religiosorum et religiosarum superiores graviter peccant contra justitiam, si personas, a quibus aliorum defectus corrigendos susceperint, manifestent. *Communis*. Et ratio est, quia certum est, ex conventionem saltem tacita id sibi sub secreto strictissimo esse commissum; tum quia talis revelatio apertissime retrahit subditos a declarandis defectibus necessario corrigendis, quod cedit in maximum et gravissimum detrimentum disciplinæ regularis,

SÆCULARIZATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

(1. Sæcularizationis nomen in tractatibus Westphalicis primitus ortum habuit, illoque usus est orator Gallicus dux de Longueville 1646, 8 Aprilis in collatione cum Protestantibus Monasterii habita. Magis Latine profanationem eam dicendam volunt Protestantes, ut Mauritius in diss. *De sæc.*, c. 2, § 1. Denotat autem translationem honorum ecclesiasticorum ad usus civiles vel sæculares, de qua sola hic quæritur; non enim dubium ullum est, bona ecclesiastica ad alios usus pios æque bonos vel meliores, legitima auctoritate interveniente, ex gravibus causis converti posse: hoc namque casu sæcularizatio non fit, et pia fundatorum intentio non tantum impletur, sed in melius adhuc commutatur.

(2. Hanc autem cum cl. Ludovico Philippo Behlen, in diss. *De causis sæcularizationum illegitimas et legitimis*, § 2, regulam ponimus: « sæcularizationem bonorum ecclesiasticorum injustam et impiam esse. » Quam quidem regulam moratioribus ipsi Protestantes theologi et canonistæ admisere. Satis sit Joannis Hornbek verba recitare in exam. Bullæ Papalis Innocentii X, p. 110, ubi ait: « Ut quis solo magistratus arbitrio bona ecclesiastica aliter vel accipiat, vel impendat, quam in usus finesque ecclesiasticos adversus donationem et donatorum voluntatem, nemo haec usus docuit reformatorem; uti nec, quod bona ecclesiastica sunt juris publici, et quia proteguntur a magistratu, ideo ad usus suos ab eodem ordinari possunt, et fisco suo addici. Quod si ita esset, profecto nec ego, nec alii ecclesiis quidpiam facile legaremus,

et consequenter totius provinciæ et religionis.

(18. Item graviter peccant juxta gravitatem materiæ, et circumstantiarum generales, provinciales, definitores, alique vocales, et secretarii, qui acta et dicta in capitulis definitoriis, aliisque congressibus revelant et aperiunt, et significant amicis cum magno religionis aut religiosorum dispendio, sicuti et illi graviter peccant, qui personis particularibus significant, quos favorabiles et quos adversarios habuerint in ordine ad dignitatem, gradus et officia, ad quæ fuerunt propositi. *Communis*. Et ratio est, quia similia sunt apertissima semina discordiarum et divisionum. Et *Proverb.*, c. VI, n. 19, Dominus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.

(19. Item graviter peccant regulares omnes utriusque sexus quidquam in religionis detrimentum extra religionem patefacientes, seu aliquid in præjudicium famæ religionis, seu particularis religiosi aut religiosæ manifestantes. Hinc in pluribus religionibus tales manifestationes et patefactiones ponuntur inter peculiaria suos casus reservatos. *Communis*.

(20. Alia ad rem. Vide verb. DETRACTIO et verb. LITTERÆ.

quibus non liceret securis esse, quod bona in pios usus a nobis data, iisdem servarent, etc. » Lutheranorum theologorum conformem doctrinam adducit Dedekanus, vol. 1, *Consil.*, f. 990.

(3. Sed quoniam Protestantes recentiores, quibuscum agendum nobis potissimum est, jure utroque canonico et civili contempto, ad sacram Scripturam provocant, divinis saltem revelationibus aurem præbeant. Exponit Deus per os Moysis effectus votorum sibi factorum, unum ex parte sui, scilicet quod rem sibi consecratam tanquam propriam, et sanctam acceperat, vel, alterum ex parte hominis, ne voto exsoluto homo in pristinos usus rem Deo iraditam convertat. *Omne, quod Domino consecratur, sive homo, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino. Levit.* xxvii, 28. Majori energia de sacrorum bonorum raptoribus conqueritur Deus *Malach.* iii, 8, ibi: *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? et dixistis: in quo configimus te? in decimis et in primitiis. Quæ verba ita vertunt Protestantium editiones: Nunquid rapere debet homo, quæ sunt Dei? quid vos rapitis mea, et dixistis, in quo rapimus tua? in decimis et oblationibus, maledicti estis maledictione, eo quod vos me spoliatis, etc.* Qui ergo res Deo dicatas suis usibus committit, Deum spoliat, Dei jus lædit, injuste prorsus, et impie. Duabus divinis sententiis tragica duorum sacrilegorum et divinæ in illos vindictæ exempla adjungamus, unum Balthasar in ipso vasorum sacrorum abusu, regno vitæque privati; alterum Helio-

dori sacrilegi ministerii pœnas luentis. *Daniel* v, 11; *Machab.* iii. Utrumque notius est, quam ut hic narrari debeat: id unum advertimus; potuisse forte et Balthasarem et Heliodorum, ejusque regem prætextus illos diripiendorum sacrorum bonorum allegare, quos allegant recentiores quidam, et quos infra recensebimus, neque tamen illos divina, gravissimaque pœna immunes mansisse. Innumera addere possemus divinæ vindictæ in direptores sacrorum bonorum exempla ex gentiliis et Christianorum historiis; sed tam late grassatur pyrrhonismus, ut vix verbo divino aliqua, historiis fere nulla fides supersit. Interim, cum tamen eadem referant cujusvis populi et religionis sapientes, conscientia lectoris relinquimus, an justum timorem prædicta divinæ vindictæ exempla incutere non debeant: an manus a bonis sacris non cohibere illa veterum proverbialia ab ipsis Protestantibus laudata, quibus docemur, bona ecclesiastica direpta non tantum non ditare, sed divinam benedictionem omnem impedire ac consumere bona propria legitime quæsita. Confer Raynaudum, in tract. *Mala e bonis Ecclesiæ male tractatis*, cap. 3 et 6.

(4. Adde jam ipsius juris naturæ principia. Profecto qui ecclesiis bona sua tradiderunt, rerum suarum, sicut nos nostrarum, erant domini; principes autem ecclesiarum fundatores supremo plano rerum donatarum dominio gaudebant; tam hi, quam privati liberam transferendi dominium potestatem habuerunt. Usi sunt isthac potestate in piis donationibus duplici modo, utroque valido, donando inter vivos, quales fuerunt fere omnes traditiones, et relinquendo mortis causa per ultimas voluntates, cujus rei rariora sunt exempla. Transulerunt porro dominium in illos, qui acquisitionis et juris capaces erant, et quidem voluntate maxime seria, quam junctis executionibus perpetuo valituram esse voluerunt, caventes sollicite, ne bona sua ad hæredes etiam proprios aliosve pervenirent, aut aliis quam sacris usibus cederent. Valida ergo et legitima erat bonorum ecclesiasticorum traditio et acquisitio, ac propterea, qui ea acquirebant, jus simul firmissimum in eadem bona acquirebant, tot postea sæculorum possessione roboratum; uti ergo cuique suum dare, et multo magis relinquere primum omnis juris præceptum est, ita ex eodem fuit Regula nostra: relinquenda esse ecclesiasticis bona tanto tempore possessa, nec illa, nisi injuste sæcularizari posse.

(5. Tandem finem et naturam ipsorum bonorum ecclesiasticorum consideremus. Data sunt ecclesiis bona ad impensas cultui divino necessarias, in alimoniam ministrorum, in levamen pauperum, et quidem non tantum præsentium, sed et omni ævo futurorum. Quantunque licet mutata sit exterior Ecclesiæ disciplina, eandem naturam adhuc hodie bona ecclesiastica re-

tinent. Ante omnia præripiuntur ex bonis ecclesiasticis, quæ ad cultum divinum, ad reparationem ecclesiarum, etc., necessaria sunt. Licet ministris Ecclesiæ beneficia ac prædia certa assignata sint, simul tamen illis inculcatur: patrimonium pauperum esse, quo vivunt; peccata populi, quæ comedunt, etc., ut proin ea, qua par est, moderatione hisce bonis utantur. Denique bona ecclesiastica superflua pauperibus, aliisque causis piis uno omnium theologorum ac jurisconsultorum ore addicuntur; adeo, ut ministri Ecclesiæ quocunque tempore futuri, ad fundos ecclesiasticos suæ sustentationi destinatos, et pauperes ad debitam sibi portionem, vel saltem Ecclesiæ et communitates pro futuris suis ministris, aut pauperibus jam jus quoddam habere videantur. His ergo sine injustitia et impietate eripi bona illa per sæcularizationem non possunt, qua semel facta, presentes et futuri Ecclesiæ ministri, ac pauperes perpetuo horum bonorum spe et fruitione excidunt. Illustrem rem hanc comparisonem cum aliquo collegio in republica existente. Ponamus, destinari a collegio redditus certos pro sartis tectis conservandis ædibus collegii, pro salario ministrorum, pro pauperibus e collegio; an sine injustitia bona huic fini dicata ab ipso etiam principe auferri possunt? Nec ergo bona ecclesiastica vel sacræ fidelium societati, qua tali propria, auferri vel sæcularizari poterunt. Atque hoc ipsum publice expedit: quis enim usibus tam laudandis, et ipsi reipublicæ tam utilibus sua bona tanto labore parata, et liberis propriis adempta consecraret, si prævideret, tam parum voluntati suæ satisfacturos fore posteros ingratos? Num majores nostri, si prævidissent, quæ suis bonis Ecclesiæ dicatis fata immineant, tanta prodigalitate se suosque illis privatari fassent? Expedire profecto visum est non episcopis solis, sed a Constantino M. omnibus fere Christianis principibus, varios favores et privilegia talibus piis causis dari, ac quæcumque voluntatem etiam legum solemnitatibus non munitam hic valere. Maneant ergo et inviolatæ majorum nostrorum voluntates piæ et legitime, nec ab iis infringantur, qui proprias ultimas voluntates suas olim sancte servari cupiunt.

(6. Præcipua, qua Protestantes et politici sæcularizationem bonorum ecclesiasticorum cohonestant, causa est, reipublicæ necessitas, aut etiam utilitas. Verum modus huic necessitati ponendus est. Primus ergo: veluti ea non sit, bona ecclesiastica ad usus sacros, Deique cultum necessaria sæcularizari nunquam posse. Secundus est: Bona ecclesiastica licet tantum utilia, ex causa utilitatis etiam veræ, quam respublica experiretur, sæcularizari non posse. Tertius canon, Fieri potest hujusmodi sæcularizatio ex causa necessitatis reipublicæ, vel multorum etiam hominum, si conjuncta illa sit cum causa aut pietatis, ut si famis, pestis, aliisque iniquis temporibus non possit respublica suos alere pauperes, infirmos, etc.,